

Alte Drucke

**PROPOSITIONES || DE BONIS OPE=||RIBVS
IVSTIFI=||catorum. || DE QVIBUS DEO || DANTE
DISPVTABITVR || IN ILLVSTRI ACADEMIA || Iulia, 30.
Decemb. || ...**

Kirchner, Timotheus

[Helmstedt], 1577

VD16 ZV 30733

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148444

PROPOSITIONES
DE BONIS OPERIBVS IUSTIFICATORUM.

DE QVIBVS DE ODANTE DISPVTABITVR
IN ILLVSTRI ACADEMIA
Julia, 30. Decemb.

PRAESIDE TIMOTHEO
Kirchnero Theol: D. &
Professore.

RESPONDENTE M. NICOLAO
Kesselio Pefnicensi.



M. D. LXXVII.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO.

DOMINO HENRICO VVIRSCHIO ABBA-

ti Ringelheimensi, Domino & pa-
trono suo colendo.



Reverende & ornatissime Vir, Con-
scripsi propositiones de Bonis operibus
iustificatorum, de quibus DEO dan-
te pro more Academiarum 30. Decemb.
in illustri Academia Iulia disputabitur.
Cum verò R. t. p. aliquoties mecum non
de hoc solum, verumetiam de alijs gravissimis religionis
nostræ capitibus piè & amanter contulerit, ac reipsa osten-
derit, quod Scholis faueat, & Scholastica exercitia ex
corde amet ac prouehere cupiat: Visum fuit has propositio-
nes R. t. p. inscribere. Vnde R. p. t. cognoscet, nos
DEI beneficio res vtilis, necessarias ac veras Scholasti-
cis nostris proponere, & religiosa quadam modestia mone-
re, vt sibi à perniciosis erroribus fundamenta fidei con-
uellentibus, caueant. Est enim eorum, qui in Scholis &
Ecclesijs docent, officium, non solum verbum veritatis
rectè secare: Sed simul etiam contradicentes con-
vincere.

uncere. Tit. cap. 1. Hanc inscriptionem ut R. t. p.
æqui ac boni consulat, & beneuolè amanterq; suscipiat
rogo. Helmsteti 8. Decemb. Anno CHRISTI
1577.

R. p. t.

obseruans,

Timotheus Kirchnerus D.



PRO.

733
P R O P O S I T I O N E S

DE BONIS OPERIBVS

IUSTIFICATORVM.

I.



Rectè & verè D. Lutherus

ad Galatas scribit, difficile & periculosum esse docere, nos fide iustificari sine operibus, & tamen simul exigere opera. Hic (inquit) nisi sint fideles & prudentes ministri CHRISTI, & dispensatores mysteriorum DEI, qui rectè secant verbum veritatis, statim fides & opera confunduntur. Vterq; locus fidei & operum diligenter doceri & vrgeri debet, sicutamen vt vterq; intra suos limites maneat. Alioquin si opera sola docentur, vt in Papatu accidit, fides amittitur. Si fides sola docetur, statim somniant carnales homines, opera non esse necessaria &c. haftenus Lutherus.

II.

Sic ergò bonorum operum doctrina in Ecclesia tradenda est, vt in regia via manentes, nec fidei iustificantis doctrinam per operum nimiam commendationem amittamus, nec solius fidei iustificantis vim intempestiue vrgentes, carnalium animis eam opinionem instillemus, quasi perinde sit, siue studeamus facere opera DEO grata, siue peccatis contra conscientiam indulgeamus.

A 3

Crebris

111.
Crebris sermonibus Pontificij calumniam illam reputant, doctrinam Lutheri frena laxare ad omnem impietatem, & facultatem flagitiosis hominibus facere, quævis etiam scelera (quo plures seducat) committendi.

IIII.

Verum quod atroci iniuria Ecclesias nostras & Lutheri doctrinam hac in parte adficient, res ipsa clamat. Disertè enim reiiciunt & damnant nostri sceletatam illam Libertinorum doctrinam, Quod homini Christiano omnia sine exceptione sint licita, & quod ei nulla amplius habenda sit ratio Legis diuinæ &c. Et iuxta formulam Augustanæ Confessionis docent, Quod oporteat seu necesse sit bona opera facere. Articulo 6. & 20.

V.

Rectius etiam & melius proponunt doctrinam de bonis operibus, quam ipsi Pontificij. Hi enim, ut suo loco dicitur, ignorant, quid sint verè bona opera, ficticia & electicia opera longè præferunt à Deo præceptis operibus, adscribunt operibus meritum iusticiæ ac vitæ, nec tamen audent iudicium Dei subire fiducia suæ iusticiæ. Id verò ut clarius elucescat, doctrinam de bonis operibus ex Verbo Dei perspicua methodo repetemus.

VI.

Quod ergò facienda sint bona opera, & quod in renatis sint necessaria, non arbitraria, Quod etiam fidem veram tanquam boni fructus certò sequantur, paulò ante indicauimus, & infra suo loco Deo dante repetemus.

Qua

vii.

Qua fronte enim aliquis dicet, se per Spiritum D E I
 viuens verè reatum & sanctificatum, nisi renascentiam
 suam per fructus eiusdem demonstret? Opera enim bona
 teste Apostolo Philipp. 1. indicia sunt salutis. Qua etiam
 conscientia gloriabitur aliquis, se per fidem in CHRISTVM
 factum esse filium D E I & hæredem vitæ æternæ, nisi ope-
 ra filiorum D E I faciat, & per eadem ostendat, se à filiis
 Diaboli differre? Per hoc enim (vt Iohan: inquit 1. Ioh. 3.)
 manifesti sunt filij D E I & filij Diaboli. Quisquis non
 exercet iusticiam, non est ex D E O, & qui non diligit
 fratrem suum, manet in morte &c.

viii.

In primis verò cognoscenda & tenenda est definitio
 bonorum operum, quam ipse Spiritus sanctus in Verbo suo
 tradit. Videlicet, Quod Bona opera sint actiones interi-
 ores & exteriores à D E O mandatæ, excitatæ per Spi-
 ritum sanctum, factæ in fiducia mediatoris CHRISTI,
 directæ ad eum finem, vt D E V S glorificetur & proximo
 inseruiatur.

ix.

Ne verò videamur hanc definitionem ex nostro po-
 tius cerebro confinxisse, quam ex puris fontibus Israël
 hausisse, singula eius verba ex ore Spiritus sancti probare
 & communire conabimur.

x.

Ephes. 2. dicitur, Conditos nos esse ad bona opera
 in CHRISTO IESV. Et 2. Timoth. 3. Ad omne opus
 bonum instructos nos esse debere. Ex quibus manifestum
 fit,

fit, primam nostræ definitionis particulam in scripturis diuinitus inspiratis, fundatam esse.

XI.

Nec tamen existimandum est, opera renatorum ideo dici bona, quod perfectè talia sint, & quod in seculo DE I iudicio laudem bonitatis iuxta legem appensa verè mereantur. Sed quia ex bono thesauro cordis proficiscuntur, hoc est, à regeneratis & conuersis per fidem fiunt, & placent propter CHRISTVM. Propter CHRISTVM enim bona & quidem ex mera gratia talia reputantur.

XII.

Dicuntur porrò bona, respectu eorum operum, quæ ab Ethnicis & incredulis fiunt. Nam & illi quædam opera legis faciunt, quæ in humano iudicio præclara censentur: In DE I vero iudicio impura & immunda habentur. Idq; propterea, quod ex malo thesauro cordis, hoc est, ex corde nondum sanctificato, promanant. Ex mala arbore malus fructus teste CHRISTO nascitur.

XIII.

Altera definitionis nostræ particula sumpta est partim ex vsitata Decalogi diuisione, quæ docet: opera renati hominis esse duplicia, primæ & secundæ tabulæ, interiora & exteriora, mentis, voluntatis & cordis &c. partim ex perspicuis scripturæ pronunciatis, quæ interna & externa opera à credentibus flagitant, verbi causa. Deut: 6. Diliges DOMINVM DEVM tuum ex toto corde &c. Item 1. Timoth. 1. Finis præcepti est charitas ex puro corde &c. Rom 12. Obsecro fratres, vt præbeatis corpora vestra hostiam

737
hostiam viuentem, sanctam acceptam D^EO &c. 1. Thess.
4, Hæc est voluntas D^EI sanctificatio vestra &c. Ne
quis opprimat aut circumueniat in negotio fratrem &c.
Contendatis quieti esse, & res vestras agere, ac operari
proprijs manibus vestris &c. Et in eum finem à D^EO
conditi & redempti sumus, vt veris motibus cordis & san-
ctis actionibus omnium membrorum D^EO seruiamus in
iusticia & sanctitate, omnibus diebus vitæ nostræ. Luce 1.
Rom. 6.

XIIII.

Tertiam definitionis particulam confirmant plurima
Spiritus sancti oracula, quæ perspicuè docent, tantum eas
actiones, seu ea opera D^EO placere, quæ ipso iubente
ac mandante fiunt. Quantumuis splendeat opus coram
mundo, si destituitur Verbo D^EI, peccatum potius,
quam bonum opus dici meretur. Ezech. 20. In præcep-
tis meis ambulate &c.

XV.

Non minus perspicue & quarta particula eiusdem
probatur. Nam vt Ecclesia canit. Sine tuo numine nihil
est in homine, nihil est innoxium. Et Psalm: 51. dicit,
Spiritus Sanctum esse creatorem cordis noui, & innouato-
rem viscerum nostrorum. Et Ezech. cap. 36. D^EV M
dare cor nouum, & excindere cor lapideum.

XVI.

Sic & quinta particula clarissimis scripturæ dictis ad-
struitur. Vt verbi causa, Rom. 14. Qui per hæc seruit
CHRISTO, gratus est D^EO, & probatus hominibus.

B

Item

Item 1. Petr. 2. Ad offerendum Spirituales hostias, acceptas Deo per Iesum Christum. Item Heb. 11. Rom. 14.

xvii.

Postrema particula comprehenditur verbis Seruatoris nostri, quæ extant Matth. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus &c.

xviii.

Hinc ergò luce meridiana clarius est, mutilas & mancas esse definitiones, quæ dicunt bona opera esse etiam illa opera, quæ Deus non præcepit. Item bona opera esse opera, quæ etiam à non renatis præstantur. Item bona opera esse, quæ ex bona intentione sunt, vel quæ per homines etià inuenta & excogitata sunt vt vota Monastica & similia, de quibus nullum verbum Dei extat. Item bona opera esse, quæ à sacerdotibus satisfactionis loco injunguntur etc.

xix.

Multæ sunt diuisiones bonorum operum, in præsentia præcipuas tantum annotasse sufficiet.

xx.

Alia ergò sunt opera primæ, alia secundæ tabulæ. Alia interiora, alia exteriora.

xxi.

D. Luther: in Hofe: 14. Quatuor species bonorum operum seu cultuum diuinorum recenset. Primus & summus cultus, inquit, est fides in Christum. Hæc fiducia includit timorem Dei, studium verbi, inuocationem, & reliqua quæ prima tabula ostendit. Secundum locum obtinet obedientia erga secundam tabulam, seu dilectionis opera. Tertio loco sunt ceremoniæ, quas Deus in Ecele-

sia

739
fia voluit extare, videlicet Baptis & coena Domini. Ad
quod ad hos tres ordines attinet, omnes inter se Christia-
ni sunt similes. Obligantur enim pariter ad hos cultus præ-
standos. Quantum locum vendicant opera vocationis, hæc
quoq; sunt Deo grati cultus, quanquam diuersa sint, si mo-
dò fiant prælucente fide in Christum mediatorem.

XXII.

Electicia opera, quæ homines priuata intentione abs-
que verbo Dei sibi eligunt, inter bona opera numeranda
esse negamus. Neq; enim vita illa in pretio est, & grata
Deo, quæ nostra sapientia & industria eligitur. Matth. 15.
Frustra colunt me mandatis hominum &c. Iesai: 1. Quis
quæsiuit hæc de manibus vestris?

XXIII.

Discamus igitur Deum non delectari operibus electi-
cijs, neq; ei præscribendam esse rationem cultuum nostro
arbitrio, Sed ipso monitore & duce vti debemus. Verum
tanta est peruerfitas humani ingenij, vt quod mandat De-
us, negligat, ea verò, quæ non præcipit, eligat.

XXIII.

Sed prætendunt homines, se bono studio & intentio-
ne hæc facere. Respondeo breuiter, omnes superstitiones
& hæreses inde natas esse, inde extitisse Monachos, Stoicos,
Baalitas, qui pungendo corpus lanceolis sanguinem elicie-
bant, & propterea se exaudiri sperabant &c. quod homi-
nes existimant placere Deo, quicquid ex bona intentione
fiat.

XXV.

De efficiente bonorum operum verissima est senten-
tia

tia D. Lutheri. Omnia sanctorum opera esse CHRISTI
in eis regnantis. In 4. Psal: Grad: Et Augustinus qui de
Eccles. dogmat: scribit. Omnium bonorum affectuum
atq; operum, & omnium studiorum, omniumq; virtutum
quibus ab initio fidei ad DEVM tenditur, DEVM profite-
mur autorem &c. Idem docet precatio Ecclesiastica, DE-
VS, à quo sancta desideria; recta consilia & iusta sunt ope-
ra &c. Hæc dicta firmissima habent sacrarum scriptura-
rum testimonia. vt Galat. 5. Fructus Spiritus sunt fides, dile-
ctio &c. Iacob. 1. Omnis donatio bona &c. Ephes. 2. Con-
diti sumus ad bona opera. Philipp. 1.

XXVI.

Solus Deus bonus est. Necessè igitur est, vt natura cor-
rupta prius reformetur & immutetur, quam bona opera ef-
ficere possit. Vt ergò succus vitalis plantas vegetat ad per-
ferendos fructus: Ita Spiritus sanctus in renatis varias pro-
germinat virtutes. Iuxta illud, Ego sum vitis, vos palmi-
tes &c.

XXVII.

Dicat autem aliquis, Si DEVS vel Spiritus sanctus
effector est bonorum operum in nobis, Cur igitur dicitur,
quod fides sit fons bonorum operum? Ambrosij enim verba
sunt, Fides est omniũ virtutum radix &c. Respondeo. Cum
fidei bona opera adscribuntur, perinde est, ac si Spiritui
sancto assignarentur. Spiritus sanctus enim autor & do-
nator est fidei, Ephes. 2. Galat. 3. Philipp. 1.

XXVIII.

Verbum Dei dicimus causam instrumentalem bo-
norum operum in nobis. Spiritus sanctus enim per verbum
in no-

in nobis est efficax, corda nostra regenerat, & studium bonarum cogitationum & actionum in nobis accendit. Rom. 1. 10. 1. Corinth. 1.

XXIX.

In renatis voluntatem per Spiritum sanctum renouatam accedere haud diffitemur. Nam Rom. 7. expressè dicit Apostolus, se condelectari legi Dei, secundum internum hominem. Et Iohan. 5. Qui natus est ex Deo, seruat seipsum &c. Vnde etiam Lutherus scribit, opera gratiæ esse, quæ ex fide fiunt, Spiritu sancto mouente & regente voluntatem hominis &c. In non renatis verò minimè. De illis enim non rectè dicitur, quod voluntas ipsorum sit causa bonæ actionis &c.

XXX.

Ethinc non obscure colligi potest, à quibusnam verè bona opera fieri possint, nimirum à solis credentibus, & regeneratis, qui sunt domicilia Spiritus sancti. Rom. 6. 8. Matth. 12. Iohan. 15.

XXXI.

Nos ergò docemus, primum omnium spectandam esse personam, an sit iusta & pia: id quod fit per verbum, cui credit: Tum verò exercet suum ministerium in Ecclesia, docet, exhortatur, orat, discit & audit verbum, fert crucem propter verbum, mortificat carnem. Illa est persona sancta, viua & beneplacens Deo, quæ postea progreditur ad alia externa officia &c.

XXXII.

Et reiicimus Aduersariorum sententiam, qui fingunt, etiam non renatos posse bona opera facere, oportet enim primum esse arborem, postea fructus. Item oportet esse

ret esse factorem ante facta, vt ait Lutherus, Et Christiani non fiunt iusti operando iusta, sed iam fide in Christum iustificati operantur iusta.

XXXIII.

Quin & ipsi Sophistæ (vt Lutheri verbis vtar) coguntur fateri, & ita etiam docent, opus morale externè factum, si non fiat sincero corde, bona voluntate & recto dictamine rationis, esse simulatum &c. Quantò magis coguntur hoc concedere in Theologia, vbi ante omnia oportet esse noticiam DEI & fidem, quæ cor purificat?

XXXIII.

Erasmus magnificè prædicat Ethnicorū virtutes. Vix, inquit, inuenias apud Christianos, qui præstiterint hoc quod Pomponius Atticus aut alij &c. Respondet Lutherus. philosophicè & in materia conueniunt, hoc est, In genere vitæ, sed non in specie & differentia. Carent enim verbo & approbatione DEI, nec reguntur à spiritu gratiæ. Item, opera ipsorum non fiunt in vera agnitione Christi, nec diriguntur ad veros fines, scilicet ad gloriam Dei, & ædificationem vel salutem Ecclesiæ, &c.

XXXV.

Cor ergò credentis est subiectum, in quo Spiritus gratiæ operatur, & efficit verè bona opera interiora & exteriora. Psal. 51. Vt enim ex corde prauo & non regenerato prauæ cogitationes & actiones prodeunt: Ita contra ex corde per fidem purificato, bonæ cogitationes & actiones salutares proficiunt. Spiritus sanctus enim Apostolo Petro teste, animas nostras purificat, vt obediamus veritati, & fratres diligamus.

Nec

Nec verò cordi solum præcipitur, vt Deum diligat: verumetiam à reliquis membris corporis humani exigitur, vt Deo seruiant, & proximo benefaciant. Aures audiant verbum Dei, Lucæ 8. Lingua sonet laudes Dei. Psal. 34. Manus liberaliter conferant ad conseruationem ministerij & scholarum, 1. Paralip: 29. 30. Pedes currant ad domum Dei. Psal. 42. Oculi serio desiderent templum Domini, aspiciant opera Domini magnifica. Psal. 27.

XXXVII.

Hæc ergò est summa doctrinæ nostræ de bonis operibus, quod docemus personam prius Deo acceptam esse, quam opus. Et personam non fieri iustam ex opere iusto, sed opus fieri iustum, & bonum ex persona iusta & bona. Sicut Genes. 4. dicitur, Respexit Deus ad Abel & oblationem eius. Respexit ergò prius personam quam opus. Et Heb. 11. Impossibile est placere Deo sine fide, Item, fide meliorem ~~historiam~~ obtulit Abel quam Cain.

hosiā

XXXVIII.

Papistis sunt bona opera, in templo sine affectu, intellectu & cum contradictione recitare Psalmos, vestiſci-
licio, abstinere à carnibus, sed non à piscibus & vino. Hæc iudicant digna tantis opibus & tam lautis præbendis. Sed aliter Spiritus sanctus & scriptura de bonis operibus con-
cionantur, requiri scilicet ad opus bonum fidem, quod in gratia sis apud Deum propter Christum. Hoc fundamento stante postea omnia sancta sunt, siue doceas verbum, siue conſoleris afflictoſ, siue alia opera vocationis tuæ iuxta verbum Dei facias.

His

XXXIX.

His diligenter consideratis, non difficile est respondere, quomodo & propter quid placeant Deo fidelium opera: Tam enim opera, quam persona iustificantur & placent propter Christum sola fide, Certumq; est, quod opera bona iusticiæ nomen in scripturis sortiantur, ab imputatione iusticiæ CHRISTI, quæ procul alioqui à iusticiæ veritate abessent. In summa operum dignatio non ex alio fonte manat, quam gratuita acceptationis, gratuita imputatione iusti censemur, gratuita quoque imputatione opera nostra iusticiæ nomen accipiunt.

XL.

Manifesta igitur blasphemia est fingere, opera per se placere & grata esse Deo &c. Item, Quod opera facta ab homine etiam in mortalibus peccatis constituto &c. accepta sint Deo, & mereantur gratiam. Item, Quod Ethnicorum opera Deo placuerint, & verè bona opera fuerint. Ratio est. Quia opera etiam sanctorum sunt imperfecta. Nec possunt bona opera fieri, nisi ab illo, cuius cor per fidem prius purificatum est &c. Ethnicorum verò opera quia non promanarunt ex vera fide, magis in catalogo peccatorum, quam operum bonorum recensenda sunt.

XLI.

Et si enim aduersarij grauissimè ferunt, hoc dogma eorum reijci, de operibus scilicet, infidelium: tamen certum est, quod etiam Augustinus hanc sententiam tenuerit. Sic enim scribit contra Iulian. lib. 4. cap. 3. Si gentilis nudū operuerit, periclitantem seruauerit, ægri vulnera fouerit, ad testimonium falsum nec tormentis potuerit impelli,
nunquid

745
nunquid quia nō est ex fide, peccatum est? prorsus in quantum non est ex fide, peccatum est.

XLII.

Finalis verò caussa obedientiae legis in iustis, vel bonorum operum non est iusticia coram Deo, quæ sola fide accipitur, Sed pax mundi, gratificatio erga Deum & bonum exemplum, quo alios inuitant ad credendum Evangelio. Luther. in 4. capite Epistolæ ad Galatas.

XLIII.

In summa sacrae literæ monstrant hos fines bonorum operum, videlicet, gloriam Dei, 1. Corinth. 10. Vt debita obedientia Deo præstetur. Ordo enim iusticiæ talis est, vt creatura rationalis Deo obtemperet, Rom. 8. Vt opera sint, indicia & fructus salutis & veræ fidei, Philip. 1. Vt proximo seruiatur. Tit. 3. Vt bonis operibus alij ad poenitentiam inuitentur, 1. Petri 3. Vt poena præsentis & æternæ vitentur Galat. 5. Vt obtineamus præmia gratis promissa bonis operibus, 1. Timoth. 4. Hæc testimonia perspicue ostendunt, renatos non eo fine bona opera facere aut præstare debere, vt vitam æternam per ea consequantur, quam iam iure habent alieno merito, scilicet CHRISTI, Sed vt grati sint, & obedientes diuinæ voci, vt gloria DEI, pariter doctrina & vita sancta promoueat. Hunc ordinem finium non intelligunt aduersarij, sed peruertunt eum.

XLIIII.

Et si igitur doctrina de finibus bonorum operum distinctè tradenda est, ne gloriæ & meritis CHRISTI aliquid detrahatur, & conscientijs perturbatis dubitationum scrupuli iniiciantur: tamen omnino retinenda est propositio illa in Ecclesijs nostris, Quod bona opera sint necessaria.

C

ria.

ria, Quia in verbo Dei perspicue fundata est, Rom. 13.
1. Corinth. 9. 1. Iohan. 4. & alibi

XLV.

Quod ad vocabulum necessitatis attinet, testamur, illud nobis aliud nihil significare, quam necessitatem ordinis, mandati & voluntatis diuinæ, non autem necessitatem coactionis.

XLVI.

Semper tamen necessarium hoc discrimen obseruandum est, de quo Apostolus Rom. 7. differit, inquit, Condelector legi Dei secundum internum hominem, Carne autem seruo legi peccati. Caro enim non solum inobediens & immorigera est: Verum etiam repugnat legi mentis &c. Quibus verbis perspicue indicat, nouam obedientiam per Spiritum sanctum in renatis accensam, esse quidem voluntariam, quo ad nouum hominem: Sed carnem, seu veterem Adamum rebellare legi mentis, & captiuam reddere renatum legi, peccati quæ est in membris ipsius, ita vt non eo ardore animi bona faciat, Deo seruiat, proximum diligat, carnis affectus reprimat, quo debebat. Hæc rebellio cordis agnoscenda, non pallianda aut extenuanda est.

XLVII.

Quod si quis contendere vellet, Ea libertate renatos facere bona opera, vt in ipsorum arbitrio positum sit, vt in bonis operibus ambulent eaq; perficiant, vel liberè omittant, ac quod nihilominus fidem, gratiam Dei & vitam retineant, is sine dubio toto cœlo, quod dicitur, à scopo veritatis aberraret, & verbum Dei in suam ipsius perniciem detorqueret ac deprauaret, ac proinde nullo modo in Ecclesia Christi audiendus esset.

Sed

Sed priusquam ad alia progredimur, paucis enodanda est quaestio illa vexatissima, num videlicet bona opera renatorum coram Deo iustificent &c. Pontificij quidem in ea opinione sunt, bona opera omnino coram Deo iustificare. Nos verò ex verbo Dei contrarium docemus.

XLIX.

Initio autem querimur atrocem nobis fieri iniuriam ab aduersarijs, cum obijciunt, nos extenuare & annihilare bona opera, homines à studio veræ sanctitatis abducere, & fenestram flagitiosis patefacere ad omnis generis nequitiam perpetrandam. Etsi enim iustificationem operibus piorum derogamus: tamen iuxta verbum eis tribuimus, quod à Spiritu sancto operibus credentium tribuitur.

L.

Profert verò Spiritus sanctus in verbo grauissimas rationes, cur bonis operibus iusticiæ laus coram Deo adscribenda non sit. Prima sumitur ab imperfectione sanctorum & operum, quæ à sanctis in hac vita fiunt Rom. 7. Imperfecta autem opera coram Deo non iustificant &c. Secunda, à legis diuinæ summo rigore. Lex enim perfectam obedientiam flagitat cordis & omnium virium hominis &c. Rom. 2. 3. Galat. 3. Vnde Bernhardus. Lex misericordiam nescit, nouit iusticiam. Tertia ratio sumitur à passione, morte & resurrectione IESU CHRISTI, quæ esset frustranea, si per legem existeret iusticia, Galat: 2. Rom. 3. 5. 8. 10. Quarta à gratuitis Euangelij promissionibus, & certitudine salutis. Rom. 4. Incerta enim redderetur iustificatio & salus, si per nostra opera iusticia impetranda esset. Conscientia namque tentata semper dubitaret, num

haberet tot ac tanta opera, quæ DEI iram possint placare, & iusticiæ laudem in ipsius conspectu promereri &c. Quinta ab intercessione CHRISTI pontificis sedentis ad dexteram patris. Rom. 8. Vbi enim est perfecta iusticia operum, ibi non opus est intercessione &c. Sexta, Ab auctoritate totius Propheticæ & Apostolicæ scripturæ, Actor. 4. 10. 13. 15. Rom. 3. 4. Ea enim opera nostra clarissimis verbis à iusticia coram Deo excludit: Et huc pertinent particulæ exclusivæ, quæ excludunt opera nostra à iustificatione coram Deo, ne sint causa vel meritum; ne sint medium applicationis. Item ne sint forma vel pars iusticiæ nostræ coram DEO, &c. Amplectimur etiam dictum Augustini: Væ hominum vitæ, quantumvis laudabili, si absq; misericordia iudicetur. His ergo rationibus mouemur, vt statuamus operibus nostris coram DEO iusticiæ laudem non adscribendam, sed detrahendam potius. Nec tamen inde sequitur, quod bona opera prohibeamus, differunt enim prohibere opera, & docere iuxta scripturam, quod coram DEO non iustificent.

L I.

Sed nunquid vera est illa Pontificiorum opinio, vbi docent, quod bona quidem opera non ex sese hoc habeant, vt iustificent, sed vim iustificandi ex CHRISTI merito consequantur. Christum enim sua acerba passione & sacrosancto sanguine hanc virtutem operibus fidelium tribuere, vt promereantur vitam æternam. Ex CHRISTI, inquiunt, passione, & Spiritu sancto in habitante, infinitas quædam operibus nostris accedit, &c.

L I I.

Minimè vera est. Constat enim, quod tantum vnicus sit ex-

fit expiator peccatorum, placator iræ DEI, & re-
 stitutor vitæ æternæ. Homo IESVS CHRISTVS, qui
 semetipsum dedit preciū redemptionis pro omnibus ^{ὁ δὸν}
^{ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων}, &c. Ratio manifesta est. Ex-
 piare enim peccata, & vitam æternam promereri est opus
 infinitæ potentia, nec ulli creaturæ competere potest. Sic-
 ut ergo creatura non potest creare cœlum: Ita nec pecca-
 ta expiare & vitam æternam mereri. Psal. 49. Preciosa est
 redemptio animæ suæ, ita vt omittere cogatur in æter-
 num. Tribuere ergo operibus humanis virtutem prome-
 rendi vitam æternam, est operibus tribuere infinitam po-
 tentiam, quæ soli Deo competit, nec in ullam creaturam
 conferri potest sine grandi scelere & blasphemia in filium
 DEI, qui inquit: Gloriam meam alteri non dabo &c.
 Porro res ipsa docet, Christum nequaquam eo fine passum
 esse, & sanguinem profudisse, vt operibus nostris infini-
 tas quædam accederet, & vis expiandi peccata concede-
 retur &c. Sed vt ipse peccata nostra expiaret, & nos per
 fidem ex ipsius merito ac obedientia gratis vitam æternam
 consequeremur. Isai: 53. 1. Iohan. 1. Rom. 4. 5. 1. Petri
 2. Adhæc siue hominem cum operibus ante cognitionem
 Christi, siue post iustificationē, siue cum in peccata relapsus
 & denuò conuertendus est, consideres: Certum est, quod
 nullo vnquam tempore per & propter sua opera Deo pla-
 ceat, & reconciliationem consequatur. Quia Christus in
 initio, medio & fine semper est iustificator & saluator, ac
 meritum eius nunquam admittit nostra opera ad gloriam
 iustificationis, Actor. 4. 10. 13, Rom. 5. 8. 1. Iohan. 2.

LIII.

Cumq; scriptura clarissimis verbis opera nostra à iu-

C 3

stifi-

ificatione coram Deo simpliciter excludat. Roma. 3. 4.
Sine dubio falsa & blasphema est opinio, quæ statuit, de-
beri eis laudem iustificationis coram Deo.

LIIII.

Sed non mirum est, aduersarios ludere fingendis eiuf-
modi opinionibus, cum doctrinam de beneficijs Mediatoris,
& discrimen Legis ac Euangelij vel planè ignorent, vel
certè dissimulent se scire.

LV.

Et si autem miris modis se torquent Aduersarij, vt do-
gma suum de operum iusticia coram Deo obtineant: Cer-
tum tamen est, quod non falsum solum per se: Verum etiam
conscientijs perniciosum sit.

LVI.

Nam licet alijs malis vtcunq; remedia inueniri pos-
sint: tamen sensus iræ Dei & peccatorum verè immedica-
bile malum est, nisi mittatur salus ex alto. Agnoscit hoc
Dauid Psal. 51. 130. 143. & alibi. Testantur idem con-
fessiones omnium verè piorum &c. Scribunt quoq; ipsi
Aduersarij de quodam Arsenio Eremita, qui licet sanctis-
simè per omnem vitam vixisset, tamen in agone mortis
coactus sit fateri, aliud esse Dei, aliud hominum iudi-
cium, &c.

LVII.

Ergò nemo pius subeat mortem & iudicium Dei, fi-
ducia meriti aut iusticiæ suæ. Nec sane puto quenquam in-
ter Papistas esse, qui ausit iudicium Dei subire, fiducia suæ
iusticiæ. Et tamen docent, iubent ac hortantur vt alij fa-
ciant. Nos autem contrarium docentes & deducentes Ec-
clesiam ad fiduciam meriti & mortis Christi, damnant
tanquam hæreticos.

Neq;

LVIII.

Neq; in Ecclesia toleranda est illa ratio docendi, quæ comminiscitur, Etiam si per opera non consequamur iusticiam coram Deo valentem: tamen opera facienda esse, quia nemo absq; operibus possit saluari, & quia nemo vnquam absq; bonis operibus saluatus sit. Hæc, inquã, ratio docendi de bonis operibus toleranda non est. Scriptura enim tam a salute, quàm a iustificatione coram Deo bona opera excludit, Rom. 4. Ephes. 2.

LIX.

Sicut nec illa sententia vera est, Fidem quidem iustificare: Sed ita, vt tamen simul bona opera ad salutem sint necessaria &c. Siue enim de merito, vel adplicatione, vel parte iustificationis & saluationis accipias, falsa & blasphemata est, in meritum CHRISTI, & conscientias perturbatas in labyrinthum dubitationis ac desperationis conijcit.

LX.

Non sola fides iustificat, inquiunt, Aduersarij, sed fides coniuncta cum operibus. Et huic propositioni callidam declarationem siue limitationem (vt D. Luth. verbis vtat) addunt. Licet (inquiunt) exigamus opera, tanquam necessaria ad salutem, tamen non docemus confidendum operibus. Est satis astutus diabolus, sed nihil agit, tametsi fucû imperitis & rationi facit. Posito enim illo, quod fiducia operum reiicitur & damnatur, tum iusticia operum prorsus nihil est. Impossibile enim est, iusticiam operum in homine constituere, eamq; tanquam ad salutem necessariam exigere, & tamen dicere, quod ei non sit fidendum.

LXI.

Huc etiã pertinet illa propositio, quod opera bona necessitate

tate

tate præsentiæ sint necessaria in ipso. Articulo justificationis corā Deo &c. quæ ex diametro pugnat cum typo sanorum verborum, & cum doctrina Apostoli de particulis exclusiuis.

LXII.

Remouenda enim est ex animis omnis opinio & arrogantia de nostris operibus, in Articulo justificationis coram Deo & semen benedictum accuratè discernendum & separandum est ab omnibus nostris operibus, sunt, enim vt Luth. rectè dicit, distinctæ res, iusticia nostra & semen benedictum. Genes. 22. & in Epistola ad Galatas, diuersi loci sunt (scilicet justificatio & opera) nec patiemur eos commisceri. Item nos hic distinguimus iterum in Genes. cap. 15. Lex & promissio distincta sint &c.

LXIII.

Solet & de hac propositione disputari. Num opera nostra sint causa salutis sine qua non &c. Sed responsio expedita est, Quod vnum ad salutem sit necessarium, videlicet meritum filij Dei, Vera fide apprehensum. Sine dubio igitur falsa est prædicta propositio. Nam si absq; bonis operibus salus non constaret, sequeretur, quod solum Christi meritum fide solâ apprehensum coram Deo, ad justificationem & salutem consequendam non sufficeret, Et quod Christus non esset perfectus & totalis, Sed partialis tantum justificator & saluator.

LXIIII.

Porro quod ad illam propositionem attinet, qua dicitur, Bona opera conseruare salutem, certum ac indubitatum est, quod ad sanorum verborum formam non congruat.

753
gruat. Scriptura enim sicut fidei salutem, ita etiam retentionem eiusdem adscribit, 1. Pet. 1. Potentia Dei per fidem custodimur ad salutem. &c.

LXV.

Nec fides in initio tantum iusticiam gratis imputatam apprehendit, Proprium enim & perpetuum fidei officium est, non tantum accipere aditum in gratiam, Sed & stare in accepta gratia & gloriari in spe gloriæ Dei. Rom 5. Sicut & Ebr. 3. dicitur, Si fiduciam usq; ad finem firmam retineamus. Et Coloss. 1. Si permaneatis in fide fundati & stabiles.

LXVI.

Haud immerito igitur reiicimus Tridentini Concilij sententiam, quæ operibus nostris salutis retentionem adscribit.

LXVII.

Ac nequaquam audiendi sunt, qui vthuc propositioni medeantur, & imperitis solum faciant, contendunt, in nostrorum etiam scriptis eam alicubi reperiri. Cum enim fundamentum papisticorum errorum contineat, simpliciter ex agro & finibus Ecclesiæ exterminanda, & typus sanctorum verborum retinendus est. Solis enim Canonicis scripturis debetur ea autoritas, ut statuamus nihil falsi eis inesse. &c.

LXVIII.

Disputatur & de hac propositione, num bona opera sint perniciofa ad salutem. Simpliciter autem respondendum est, quod discedat ab analogia fidei, Simples offendat, Aduersarijs verò calumniandi materiam præbeat. Apostolus enim et si Philip. 3. omnia pro damnis, detrimen-

D

trimen-

trimentis & stercorebus propter CHRISTUM &c. habenda esse dicit: tamen ingens est discrimen inter prædictam propositionem & verba eius, quæ Philip. 3. cap. leguntur.

LXIX.

Non tamen docemus libertatem bonorum operum, nec fingimus talem fidem, quæ in reconciliatis existat & maneat absq; bonis operibus, seu quæ in renatis non connexa habeat bona opera (quicumq; talia de nobis spargunt, sciant se falsum testimonium dicere, & atroci peccato conscientias suas polluere) non, inquam, fingimus talem fidem, quæ in renatis sit ἀκαρπός infrugifera, nec bonos fructus proferat (talem enim fidem pro nulla & mortua habemus). Sed docemus fidem efficacem per dilectionem. Saltem hoc excipimus, quod licet fides vera chorum pulcherrimarum Virtutum (vt cum Luthero loquamur) secum ducat, neq; vnquam sola sit: tamen non ideò confundendæ sint res ipsæ, & quod solius fidæi est, alijs virtutibus tribuendum sit. Conscientijs enim non neccendi sunt laquei dubitationum &c.

LXX.

Licet ergò propositiones discedentes à formâ sanctorum verborum reiiciamus, non tamen ideò negamus, faciendæ esse bona opera. Sed hoc improbamus, quod Aduersarij commiscant fidem iustificantem & opera iustificationum per fidem. Bene quidem conueniunt (vt inquit Lutherus) & sunt connexa inseparabiliter fides & opera, Sed sola fides est, quæ apprehendit benedictionem. Ideò solam fidem iustificantem prædicamus, quia sola benedicatur, opera non habent gloriam, quod benedicant, sed sunt fructus benedictæ personæ. Sic ergò reiicimus Aduersariorum

755
riorum de operibus figmenta, vt ramem semper in regia
via incedamus, & studium verè bonorum operum accura-
tè inculcemus, ac simul distinctionem fidei & operum in
Ecclesia illibatam seruemus. Et si enim fides & opera recon-
ciliatis connexa sunt inseparabiliter: tamen discerni, non
autem confundi inter se debent.

LXXI.

Concludimus ergò cum Apostolo, sola fide iustifi-
cari homines. Postquam verò homo fide iustificatus est,
& jam CHRISTVM fide possidet, & nouit esse iusticiam &
vitam suam, tunc non erit ociosus, sed vt bona arbor pro-
feret bonos fructus. Quia credens habet Spiritum san-
ctum, vbi is est, non finit hominem esse ociosum, Sed
impellit ad omnia exercitia pietatis, ad dilectionem Dei,
ad patientiam in afflictionibus, ad inuocationem, gratia-
rum actionem, ad exhibendam charitatem erga omnes.
Quare & nos dicimus, fidem sine operibus nihil esse & ina-
nem. Hoc Papistæ & fanatici sic intelligunt, fidem absq;
operibus non iustificare, Aut fidem quantumuis veram,
si opera non habeat, nihil valere, Hoc falsum est. Sed
fides sine operibus, id est, fanatica cogitatio, mera vani-
tas & somnium cordis, falsa est, & non iustificat.

LXXII.

Ac vt summatim dicam, doctrina illa, quæ statuit
opera nostra ad iustificationem coram DEO, salutem vel
consequendam vel retinendam villo modo esse necessaria,
vel opera bona necessitate præsentiae in Articulo Iustifica-
tionis coram DEO esse necessaria, vel esse causam, sine
qua non iustificationis & salutis &c. reuera aliud nihil est,
quam tentatio DEI, turbatio Ecclesiæ CHRISTI, &

labefactatio animarum. Sicut Actor. 15. dicitur: Quidam egressi ex nobis, vos turbauerunt verbis, & ἀνακινῶσιν τὰς ψυχὰς ὑμῶν &c. labefactantes animas vestras. ἀνακινῶσιν enim significat fundamenta ædificij connellere & labefactare, & noui operis noua instituere fundamenta.

LXXIII.

Nec solum studium bonorum operum diligenter & accurate in Ecclesijs nostris vrgemus, verumetiam subinde inculcamus, tantum esse precium vnus verè boni operis apud DEVM, vt Spiritus sanctus etiam vilissimorum operum, quæ à credentibus in fide fiunt, mentionem in sacris literis honorificam facere haud dedignetur. Non solum inquit D. Luther. Genes. 29. Preciosa sunt in conspectu DEI heroica virtutis magnifica opera, quæ per nos operatur, sanguinis item effusio & mors ac grauissima certamina. Sed etiam vngulæ ipsæ vilissimæ, præciosæ sunt. Item omnium maximè minima sanctorum opera DEO placent. Sanguinem fundere, mori, sudare, certare & luctari aduersus Diabolum, reuera est magnum, & vehementer placet DEO. Sed sic statuas, quando es fidelis, tum placent DEO etiam Physica carnalia, animalia officia, siuè edas, siuè bibas, siuè vigiles, siuè dormias, quæ merè corporalia & animalia sunt, Tanta res est fides.

LXXIIII.

Simul tamen retinenda est hæc sententia, quod credentium opera in hac vita, licet DEO propter CHRISTVM placeant, sint & maneant imperfecta, propter adhærens peccatum, quod in carne sanctorum reliquum est. Rom. 7. Vbi enim peccatum, ibi nulla perfectio. Nec enim verum est, quod renati legem implere possint, sicut Aduersarij fingunt.

757
gunt. Legi enim de dilectione D E I & proximi, nunquam
in hac vita perfecte satis fit, Vnde etiam Aug: scribit, san-
ctos perfectos vixisse, quod D E V S eis perfecte ignoverit
peccata. &c. Imò omnes sancti seriò & sine hypocrisi o-
rant, Remitte nobis debita &c. Si quis hac in parte (vt
August: verbis utar) sanctis fictionem tribuit, anathema
fit.

LXXV.

Si ergò sancti in hac vita non sunt perfecti, restat vt
inuestigemus, quæ & qualia peccata in eis remaneant,
ne homines profani sibi persuadeant, se habere fidem in
CHRISTVM & Spiritum sanctum, licet sceleribus contra
conscientiam indulgeant, & sine vllò timore D E I in de-
lictis perambulent, Ac sufficere eis, si modo verbis præsefe-
rant, quod credant in filium D E I, & Euangelium CHRISTI
magnificent. Accusant enim nos Pontificij, quod talem
fidem doceamus, quæ permittat hominibus carnalibus li-
centiam peccandi.

LXXVI.

Dicimus ergò cum scriptura, manere in credentibus
peccata non regnantia, seu, vt vsitatè vocant, Venialia,
(Rom. 6.) quæ sic appellantur, non quod per se sint venia-
digna: Sed quia in renatis est poenitentia & fides in CHRI-
STVM. Habet Paulus peccatū in carne sua habitans, & sentit
legem membrorum repugnantem legi mentis suæ &c. &
desideria carnis, prauas item inclinationes. Hæc verè
sunt peccata, si per se & in sese considerentur. Fiunt au-
tem & sunt Venialia, non quod per se non sint digna male-
dictione: Verum quia persona Pauli credit in CHRISTVM,
illis autem, qui in CHRISTO IESV sunt per fidem, pec-

cata non regnantia ad damnationem, non imputantur. Rom. 8. deinde quia Paulus resistit his peccatis, mortificat & crucifigit ea, non concedit eis regnum in suo corpore. Ita Apostolus simul sanctus est, & immunis à condemnatione legis, quia credit in filium DEI, & peccator, quia habet peccatum in carne reliquum: Sed cui non obtemperat, quod mortificare studet, cui item per fidem & alia pietatis exercitia resistit.

LXXVII.

Ad eum modum testatur scriptura, Rom. 8. Galat. 5, & alibi, in omnibus & singulis credentibus remanere peccata, & mala quædam interiora, quæ repugnant legi diuinæ, verbi causa, prauitatem nobiscum nascentem, quæ impedit, vt non sit talis ac tantus timor DEI, tanta fiducia & dilectio, quanta esse debebat. Manent etiam multiplices vitiosi adfectus & cupiditates prauæ, Sed quibus pij per fidem resistunt. Manent item multa peccata omissionis, errata Oeconomica, Politica & Elcclesiastica, quæ tamen non dominantur sanctis. Sancti enim ea agnoscunt, deplorant ac seriò mortificare student. Nec etiam damnantur propter talia peccata, quamdiu sunt & manent in CHRISTO IESU per fidem, ac non secundum carnem: sed secundum Spiritum ambulant. Rom. 8.

LXXVIII.

Hinc etiam manifestum est, quod nequaquam permittamus hominibus nostris licentiam peccandi. Cum enim disertè vrgeamus, credentes debere in Christo singulis momentis quærere, & petere quoq; ab eodem gratuitam peccatorum condonationem, doceamus item, credentes debere mortificare opera carnis, prauis cupiditatibus resistere, car-

759
re, carnis opera non perficere, non concedere, ut peccatum
dominetur in mortali ipsorum corpore, &c. Qua fronte
possunt doctrinam nostram accusare, quasi frena laxet cu-
piditatibus, & quasi alliciat homines ad peccandum. Cer-
te sonora voce cum Apostolo nostris hominibus identidem
inulcamus. Si secundum carnem vixeritis, moriemini, &c.
Item: Qui talia faciunt, non possidebunt regnum Dei.

LXXIX.

Tantum hoc iuxta verbum DEI obtinere volumus,
quod totius fiduciæ nostræ certitudo consistat in precioso
sanguine Christi, ne conscientia consternata cogantur de-
sperare. Omnium enim piorum, Aug: teste, sub hoc onere
corruptibilis carnis, & in istius carnis infirmitate gementi-
um, spes una est, quod aduocatum habemus apud patrem
IESVM CHRISTVM iustum, & ipse est propiciatio pro
peccatis nostris, &c. Ut verò peccatis fenestra licentiæ ape-
riatur, minimè volumus.

LXXX.

Ex prædictis quoque haud difficulter colligitur, quid sen-
tiendum sit de illa phrasi, qua dicitur, quod bona nostra
opera in conspectu DEI sint peccata. Facta enim nostra,
seu bona nostra opera peccata sunt, non quatenus con-
ueniunt cum lege DEI, & sunt iuxta præceptum legis
(absit hoc) Sed propter imperfectionem, qua fit, ut legi Dei
plenè non respondeant, & quod reuera minus habent,
quam debent habere. Ideoque ea ratione vitiosa sunt. Illud
enim quod minus est, ex vicio est. Augustin: Epistola 29. ad
Hierony: Perfecta esse debebant, & legi per omnia con-
sentire. Sed propter adhaerentem malitiam, procul à per-
fectione legis absunt. Hanc huius phrasidis sententiam esse,
non

non obscurum est, Vnde etiam Bernhardus rectè dixit: Nostra si qua est humilis iusticia, recta forsitan, sed non pura: nisi forte nos meliores esse credimus, quam patres nostros, qui non minus veraciter quam humiliter dicebant: Omnes iusticiæ nostræ tanquam pannus menstruatæ.

LXXXI.

Porro de mercede etiam bonorum operum disceptatur. Non autem euacuamus mercedem boni operis, scimus enim quod DEVS promiserit præmia operantibus iusticiam. Verum de eo quæritur, num bona opera in conspectu DEI verè mereantur remissionem peccatorum & vitam æternam, id quod aduersarij adserunt.

LXXXII.

Primum ergò dicimus, scripturam meriti vocabulum prorsus ignorare. Etsi enim ex Syracidis & Epistolæ ad Hebræos, antiqua versione citantur dicta, in quibus vocabulum meriti legitur: tamen certissimum est, quod in ipsis fontibus Græcis non extet.

LXXXIII.

Secundò grauissimis rationibus probamus, operibus sanctorum in conspectu DEI non posse tribui meritum vitæ æternæ. Nam vita æterna est donum Dei. Rom. 6. Ioan. 3. nec datur pro operibus. Estq; horribilis blasphemia contra meritum filij DEI, operibus nostris meritum arrogare. Adhæc Rom. 4. meritum planè excluditur. Apostolus enim dicit, Abrahamum non ex debito iusticiam consequutum esse. Et quomodo renati mererentur gratiã, quam gratis per gratiam, perq; redemptionem, quæ facta est in CHRISTO IESV &c. accipiunt, Rom. 3.

Quod

Quod verò ex scriptura vocabulum mercedis obijciunt. Respondemus, DEVM ex gratia propter CHRISTVM promississe mercedem operibus, non ex debito, Sicut 2. Corinth. 1. dicitur. Omnes promissiones in CHRISTO sunt Amen. Imitatur ergò DEVS in danda mercede patres, qui liberis suis munera promittunt & dant, non quia liberorum labores talia pramia merentur: Sed quia paterno amore eos complectuntur, & quia his muneribus ad ampliores virtutes eos prouocare student. Nec fideles filij sunt mercatores propriarum vtilitatum, aut spectant mercedem tanquam mercenarij: Sed tantum DEI patris fauorem & bonitatem, cui se probare desiderant, nihil anxie de pramio solliciti, quod paternæ beneuolentiæ dispensandum relinquunt.

LXXXV.

Etsi autem meriti vocabulum in patribus extat: tamen non ex autoritate humana: Sed ex verbo diuinitus reuelato statuendum est, quid de merito operum nostrorum sentiendum sit.

LXXXVI.

Ex vulgata consuetudine vsurpant vocabulum MERITI: verum patiuntur in eo aliquid humani. Tandem enim & ipsi fateri coguntur. Si merita nostra aliquid facerent, ad damnationem nostram venirent, (vt inquit Augustin. Psalm. 43.) Ergò quia bonus est DEVS, non quia meruimus, gratis salui facti sumus. Et Bernhardus postquam multus fuisset de merito, tandem exclamat: sufficit ad meritum, scire, quod non sufficiat meritum &c.

E

Sed

LXXXVII.

Sed quid multis opus est verbis, sine vlla dubitatione de meriti ratione hæc tria sunt. Primum, vt opus nostrum sit, non alterius. 2. Vt bonum sit perfectè. 3. Vt tanti precij sit & valoris, quanti res ipsa, quam eo opere & facto mereri dicimur. Nemo autem sanæ mentis vnquam dicturus est, hæc tria suis operibus per omnia conuenire. Omnia enim opera sanctorum sunt opera DEI, in eis regnantis. Deinde sunt imperfecta, deniq; non sunt tanti precij, quanti est ipsa vita & felicitas æterna. Qua ratione igitur vitam æternam merebuntur?

LXXXVIII.

Dicat autem aliquis: In Apologia August: confessio-
nis, in responsione ad Argumenta Aduersariorum extare
vocabulum Meriti &c. Responsio expedita est, extare qui-
dem, sed non in eo sensu, quo Pontificij vtuntur, de meri-
to videlicet vitæ æternæ, quasi bona opera verè sint meri-
toria, & verè in conspectu DEI mereantur vitam æter-
nam. Hoc enim falsissimum est, sed in eo, quod videli-
cet DEVS compenset bona opera, & ornet præmijs ex gra-
tia, propter CHRISTVM, & quia illa præmia non dan-
tur ociosis, vel malè agentibus, sed laborantibus in vinea
Domini, &c.

LXXXIX.

De Electicij operibus cum supra dictum sit, restat, vt
etiam de operibus supererogationis aliquid subiiciamus.
Sentiunt Aduersarij, renatos non posse solum legi pro sta-
tu huius vitæ, vt loquuntur, satisfacere, verumetiam plura
& maiora præstare, quam lex ab hominibus requirit, Ad-
scribunt

scribunt enim hominibus renatis perfectionem. Reclamat autem huic sententiæ doctrina de merito CHRISTI, & quod scriptura dicit, ne quidem vnus diei puerum coram DEO esse innocentem. Nominis etiam ratio huic sententiæ repugnat. τέλει enim Græci vocant, quod finem & terminum suum acquisiuit. Christianorum verò, dum viuunt, semper est crescere &c. Nondum igitur ea in parte ad terminum peruenerunt. Adhuc imperfectum non potest efficere perfectum. Omnes autem sunt imperfecti, etiam renati, Rom. 7. In summa, solus CHRISTVS est perfectus. Fieri igitur non potest, vt homo renatus, etiam si sanctior esset Iohanne Baptista, in hac vita perfectionem legalem acquirat.

XC.

Hæc cum ita se habeant, hand obscure patet, insignem & detestandam stoliditatem esse, sibi vel alijs opera supererogationis adscribere. Nam si Lex impossibilis est credentibus, Rom. 8. Quomodo supererogationis opera ab eis præstabuntur? Lucae 17. dicitur. Cum omnia feceritis, &c. dicite, serui inutiles sumus &c. Quis oro hic locus relinquitur supererogationis operibus? Oratio Dominica docet, sanctos esse & manere debitores, quandiu viuunt. Grauius igitur errant Pontificij, asserentes opera supererogationis.

XCI.

Indignissimum verò est, quod ex in debitis illis operibus nundinationem instituunt, & ea alijs vendunt, ac vicissim ab eis aliquid temporalis commodi percipiunt. Quid

E 2

de hac

de hac nundinatione sentiat Apostolus Petrus, Acto. 8. capite videre est.

XCII.

Quoniam verò Aduersarij nobis subinde obijciunt veteres hæreses, quas dicunt à nostris resuscitari, sonora voce reijcimus & damnamus, Simonis & Carpocratis blasphemiam, qui docuerunt (Augustino de hæresibus teste) opera bona non curanda esse, Et illā ipsam ob causam peccatis studendum esse, vt Diaboli placentur, fiantq; nobis propitij, ac viam in cœlum aperiant. Hoc dogma, tanquam ex ipsius Satanæ cloaca profectum, toto pectore execramur.

XCIII.

Sic & Archonticorum, Antitactarum & Valestorum hæresin, tanquam impiam & blasphemam respuimus, qui senserunt, Christianæ fidei fructum hunc esse præcipuum, quod credentes liberati sint ab operibus bonis, quæ lege diuina præscribuntur.

XCIII.

Olim, inquiunt Aduersarij, etiam quidam fuerunt, qui docebant ad salutem solam fidem sufficere, & homines per gratiam CHRISTI saluari, non per opera sua. Hanc hæresin Lutherani hodie renouant &c. Sed non vident Aduersarij, quod hæc doctrina non sit ab hæreticis inuenta: Sed ab ipsis Prophetis & Apostolis tradita. Certè si hæresis est sic docere, hæreticus erit Iesai. cap. 53. Et Paulus Rom. 3. Petrus Actor. 4. 10. 15. hæretici item erunt Chrysostomus, Nazianzenus, Basilius, Ambrosius, Augustinus, & similes, qui omnes vsi sunt particula sola.

Oppo-

Opponunt & scripturarum testimonia, verbi causa, 1. Corinth. 13. Maior horum est charitas. Et Galat. 5. Fides per dilectionem efficax &c. item, dilectio est impletio Legis &c. ac similia alia. Sed certum est, quod hæc testimonia non huc spectent, vt gratuita iustificationis doctrinam euertant, & operum iusticiam coram Deo statuunt: Verum in genere hoc volunt, fidem veram debere efficacem esse per bona opera. Nam quod charitas dicitur maxima virtus, fit propter copiam ac multitudinem fructuum, quos profert. Fides enim & spes tantum agunt cum Deo. At dilectio foris erga homines infinita habet officia, dum studet seruire proximo in omnibus necessitatibus. Item dum patiens est, non inflatur, &c. Insuper dicitur maxima virtus, quia in futura vita non abolebitur, vt alia, sed perficietur, & sine fine durabit. Quod verò ad dictum Galat. 5. attinet, manifestum est, ingens esse discrimen inter efficacem esse, & per dilectionem iustificare, &c.

Dilectionem esse impletionem Legis &c. verum est,
si de perfecta dilectione accipiatur. Sed eam
in hac vita nemo habet.

SOLI DEO GLORIA.